

et potum pertinent, vitam cum aliis egisse commanem, ut finem, propter quem principaliter mortalem carnem assumpserat, consequeretur, id est, ut omnes ad se attraheret, ac lucrificeret; et in hoc sensu concludit idem D. Thomas ibi, a. 2, non fuisse conveniens, ut Christus in hoc mundo vitam duceret austeram, scilicet, quoad modum cibi et potus: *Nam convenientissimum est (inquit) ut qui communiter cum aliquibus conversatur, se eis in conversatione conformet, iuxta illud, 1 Corinth. 9: Omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrificem.* Quam doctrinam ibi nos, disputat. 28, sect. 1 et 3, testimoniis divinæ Scripturæ et Sanctorum Patrum, ac ratione confirmavimus. Quanquam postea non defuerint, qui eam impugnare studuerint, quia videbant fortasse magnum esse fundamentum ejus rei, de qua nunc agimus; sed profecto minime prævalere potuerunt contra veritatem, quæ in Evangelio manifesta est, et quidquid dicant, proferre non possunt Patres qui aliter de Christi vita sentiant.

8. *Qua ratione intelligendum sit Christum Dominum communem vitam egisse.* — Sed in hac re cavenda est magna quædam æquivocatio, in qua forte aliqui versantur. Nam dum agimus de communitate vitæ, quantum ad conversandum cum hominibus, ad utendum communi cibo et potu, transitum faciunt ad vitam laboriosam, ærumnosam, pauperrimam, injuriis, doloribus, maximisque passionibus, usque ad mortem, subjectam; et ita concludunt Christum austeram vitam professum esse, et putant se nobis contradicere. Quis autem Catholicus, etiam rudis, ignorat Christum Dominum, a principio nativitatis usque ad mortem, vitam pauperrimam amplexum esse, adeo ut ne cum primum nasceretur, locum haberet ubi in diversorio poneretur, præter vile præsepium; et postea, dum regnum cælorum prædicaret, non haberet ubi inclinaret caput suum, ac tandem nudus in cruce finiret vitam? Quis etiam nesciat Christum recenter natum coactum fuisse peregrinari, quod sine magnis laboribus et incommodis fieri non potuit; et postea, præsertim ex quo tempore prædicare cœpit, multum pro salute hominum laborasse, peditem quoque per varias partes discurrendo, famem, sitim et æstum sæpius sustinuisse, ejus indicium nobis præbuit, quando, Joan. 4, *fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem, jejunos unius animæ et per illam aliarum multarum conversionem expectando?* Denique omnes norunt Christum

Dominum magnos dolores et afflictiones corporis propter hunc finem exantelasse; aliquando ab inclementia aeris et cœli, sæpius autem per hominum injuriam, quæ omnia, tam in citata disput. 28, quam in multis sequentibus abunde locupletavi. Non ergo de hoc agimus, cum de vita communi vel austera disserimus, sed solum ut vita communis opponitur solitariæ, et non austera dicitur, quoad exteriorem usum cibi, ac potus, ac vestitus. Potest enim vita esse pauperrima inter homines degendo, et communibus eorum cibis eleemosyna acceptis utendo. Et similiter potest esse talis vita laboriosa nimis, et injuriis et laboribus exposita, ut per se notum est. Dico autem passionibus expositam, quia aliud est agere, aliud pati; illud prius est in potestate hominis, hoc autem posterius minime, sed ad Dei providentiam vel permissionem spectat, præsertim quando tales passiones vel injuriæ ab aliis hominibus sustinendæ sunt. Unde non est in potestate hominis imitari Christum, in actuali (ut sic dicam) exercitio talium passionum vel injuriarum, sed in hoc solum ut, cum oportuerit, se illis, Deo auxiliante, exponat, et propter illa non formidet in aliis operibus ministrare Christo, et consequenter quando Deus illa permiserit, patienter sustinere. Sic ergo manifestum est, ablata verborum ambiguitate, qualem vitæ rationem Christus servaverit.

9. *In quibusdam Societas communis vite modum, a Christo servatum, imitatur.* — Cum ergo Societatis finis proximus sit et simillimus fini incarnationis Christi, scilicet, animarum salus, et (ut ita dicam) efficacia redemptionis circa illas, merito etiam Christum imitata est in hoc modo exteriori vitæ communis. Primo quidem quoad hoc, ut inter homines vivat et conversetur, quia non posset alio modo eos lucrari. Unde etiam religiones monachorum, quæ præsertim a temporibus Sanctorum Dominici et Francisci, aliqua ex parte officium assumpserunt adjuvandi Episcopos in ministerio animarum (ut Cajetanus alias dixit), rigorem etiam antiquorum monachorum, qui omnimodam separationem quoad habitationem observabant, ut est apud Basilium, regul. 6, ex fusioribus, temperarunt, in civitatibus monasteria construentes, et cum hominibus conversantes. Quo ergo Societas propensius huic muneri incumbit, eo amplius cum hominibus conversatur, quia non solum in civitatibus habitat, et ad se venientes benevole excipit, sed etiam per vicos et plateas

eos quærit, et per universum mundum peregrinatur, ut omnes Christo lucretur, in quo et Christum et Apostolos imitatur. Studet etiam eorum spiritu rectam intentionem et prudentiam imitari, ut cum aliorum fructu, et sine proprio detrimento tantum opus perficiat. Secundo, ad hoc consequens est, ut etiam Christum imitetur in exteriori ratione vitæ communis, quoad ea quæ ad cibum, potum et vestitum pertinent, ex eodem fundamento a D. Thoma constituto, quoniam convenientissimum est ut is, qui cum aliis conversatur, ut eos lucrificet, se cum eis in conversatione conformet; quia sine dubio hoc multum confert ad conciliandos sibi eorum animos, quæ magna est dispositio ut conversatio cum illis fructuosa sit, et effectum habeat, si in illo genere vitæ omnis decencia, ut supponitur, temperantia, et honestas observetur. Accedit etiam, quod ad prædictum finem necessarium erat per varias mundi partes discurrere, sæpiusque peregrinari, imo hæc est gratia hujus *vocationis*, ut Gregorius XIII, sæpe citatus, dixit, et ideo oportuit homines Societatis, ex vi suæ regulæ, non esse huic vel illi ciborum generi addictos, sed illam Evangelii regulam, Luc. 10, servare: *Manducate quæ apponuntur vobis.* Neque enim expediebat aut frequenti dispensatione uti, aut alium domi, alium foris vivendi ritum tenere, aut onerosos esse aliis, inter quos frequenter versari, et ab eis ali debere.

10. *Non solum in communis vitæ modo, sed etiam in vitæ austeritate Societas Christum imitatur.* — Atque hinc etiam fit ut, sicut Societas in hoc genere vitæ communis Christum imitatur, ita etiam in ea vitæ austeritate, quam ipse amplexus est (ut adversariorum verbis utar), ab ejusdem vestigio non recedat. Atque imprimis cum hoc genere vitæ perfectam paupertatem conjungit; nam, ut supra, capite 3, num. 5, tetigi, et infra, libro 4, cap. 7, latius dicam, in domibus professorum paupertatem in particulari et in communi observat; in collegiis autem studiorum eam retinet, quæ illi tempori et occupationi maxime est accommodata; et, quod caput est, in usu paupertatis quoad singulas personas maximum rigorem observat. In missionibus autem et peregrinationibus pro animarum salute, quoad fieri possit, emendicato vivere debet. Deinde in laboribus pro animarum salute suscipiendis plurimum Christum imitatur; nulli enim labori parcere debet, ut illum finem assequatur. Unde in 4 p. Constitutionum, in declaratione

procemii, ea ratio redditur, propter quam expedit juvenes in Societate admittere, qui et vita et moribus ab ea bene instituantur, et convenienter educantur: *Tum (dicitur ibi) propter magnos labores, quos ejus institutum exigit, tum propter magnam sui ipsorum abnegationem.* Atque hinc tandem fit, ut etiam in sustinendis injuriis, doloribus, aut passionibus Christum etiam imitari debeat, ut luculenter in Examine, cap. 4, § 44, et in 11 regula Summarii proponitur. Nam (ut in fine num. 8 dixi) actualis occasio hæc patiendi non est posita in patientis voluntate; tamen præparatio, et animus ea sustinendi necessarius omnino est eis, qui vitam suam huic ministerio et labori consecrarunt, quia moraliter fieri non potest, quin quamplures occasiones sese offerant talia patiendi eis, qui pro dignitate Evangelium prædicant, non solum inter fideles, sed etiam inter paganos, Gentiles, et hæreticos, ut non solum in Christo, et Apostolis, et in aliis prædicatoribus Evangelicis, sed etiam in ipsa Societate experientia, tum præterita, tum præsentis, compertum est. Ac propterea in ejus Constitutionibus sæpe commendatur sui ipsorum abnegatio, et omnium rerum temporalium contemptus, et desiderium patiendi cum Christo, quoniam nihil magis necessarium est ad liberam et efficacem Evangelii prædicationem, qua de causa dictum existimo in bulla prima Julii III, *non esse aliquos in hac Societate admittendos, nisi post diuturnas et diligentissimas probationes, quia revera hoc institutum omnino humiles, et prudentes in Christo, et in Christianæ vitæ puritate, ac litteris conspicuos exigit.*

11. *Objectio.* — At vero, dicit aliquis, esto expediens fuerit, Societatem in externo habitu et in frequenti usu ciborum mediocritatem et communitatem quamdam tenere, hoc tamen non impedire quin in interiori habitu, aut lectis, majorem aliquam asperitatem, et in jejuniis aliquam peculiarem observantiam ex vi regulæ habuerit præscriptam. Nam et Christus Dominus licet ordinarie dictum vitæ modum observaverit, aliquando quadraginta diebus jejunavit, ut ejus rei nobis exemplum præberet; et similiter in suo habitu asperitatem aliquam servasse credendus est, cum de Joanne loquens dixerit, Math. 11: *Quem existis videre, hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.* Unde multi credunt tunicam inconsutilem, super quam milites sortiti sunt, non lineam, sed laneam fuisse; et alii opinantur

Christum Dominum nudis pedibus ambulasse.

12. *Pro objectionis solutione additur secunda ratio predictae constitutionis.* — Possemus ex ratione facta, eam cum proportione applicando, huic objectioni satisfacere. Ut tamen res evidentiior fiat, addamus secundam, quam existimamus multum movisse Beatum Ignatium, ut praedictam vivendi regulam suis reliquerit, et Summi Pontifices illam approbarent. Illa autem est, quia, considerato fine hujus religionis, necessarium erat socios omnes in maximis laboribus, tam mentis quam corporis, perpetuo versari, ideoque ad eundem finem consequendum, necessarium futurum esse afflictiones corporis ita moderari, ut laboribus illis sustinendis possint sufficere, ne Societas suo fine frustraretur, et curandis aegris, potius quam proximis juvandis, instituta videretur. Quod praesentens ac timens Beatus Ignatius, non solum in afflictionibus corporis, sed etiam in ipsismet laboribus moderationem saepius commendat; intellexit ergo, si jejuniorum aut aliarum austeritatum generalem aliquam regulam statuere vellet, necessario futuram fuisse moderatissimam, quia generalis rigor in rebus corporalibus, cum tanta varietate actionum et laborum, primum in studiis, et postea in ministeriis etiam erga proximos, non poterat ab omnibus sustineri sine magno periculo, ac dispendio salutis, et consequenter cum impedimento majorum honorum, quae ad Dei gloriam et animarum profectum magis conferunt. Melius autem judicavit pro regula relinquere, et uniuscujusque affectum et facultatem, et Superioris providentiam ac prudentiam, quam generalem regulam multum moderatam proponere. Nam haec semel constituta omnes contenti essent illam implendo, etiamsi fortasse et viribus corporis potentiores essent, et majori poenitentiae exercitio ad suum profectum indigerent. E converso vero alii, qui forte etiam ad illam moderationem sufficientes vires non haberent, vel eandem servare regulam, vel ex dispensatione vivere cogerentur. Quorum prius, detrimentum, posterius vero tristitiam et anxietatem animi afferre solet.

13. *Utilitates quae ex hujusmodi constitutione sequuntur.* — Plures ergo utilitates speravit Beatus Ignatius futuras in Societate ex hujusmodi regula, quas successores ejus per Dei gratiam experti sunt. Prima est, quod poenitentia Societatis non tantum poenitentia est, sed etiam obedientia et humilitas, nam

hae duae virtutes maxime exercentur, dum aliquis Superiori suo aperit quidquid in hoc genere et facit et desiderat, et ejus arbitrio se conformat, vel moderando, vel augendo poenitentiae opera, juxta Superioris voluntatem. Quod fuit consilium omnium antiquorum Patrum spiritualium, ut videre licet in Basilio, in Constit. monast., capite 20, et regul. 45, ex fusius disputatis; Cassian., collat. 4, cap. 20; Benedict., in capite 49 suae regulae, ubi habet illa verba notanda: *Quod unusquisque offerre voluerit* (scilicet voluntariae abstinentiae, etc.) *Abbati manifestet, et cum ejus benedictione et voluntate faciat, nam quod sine licentia Patris spiritualis fit, praesumptioni et vanae gloriae tribuitur, non mercedi.* Et de eadem re videri potest Bernard., sermon. 7 in Cant. Secunda utilitas est, quia hoc modo uniuscujusque utilitati corporali et spirituali melius provideri potest. Nam constitutio scripta complecti non potest quae unumquemque sigillatim attingunt, ut dixit Basilius supra, et in Constitut. monast., cap. 5, ubi materiam hanc late et eleganter prosequitur; et ideo, licet ex aliis circumstantiis praestet legibus scriptis quam judiciis hominum gubernari homines, ut communiter traditur cum D. Thom., 1. 2, quaest. 95, art. 1, attamen ex suo genere melior est animata regula, quam inanimata, ut dicitur in Authent. de Consulibus 1, § *Omnibus*, ad finem, et indicat Aristoteles, 3 Polit., cap. 11, et melius 5 Ethic., capite 4, praesertim ubi animata regula facile conveniri potest, et ubi magnum periculum imminet, si pro omnibus una regula signetur, et majus, si uniuscujusque arbitrio negotium relinquatur. Unde Abbas Plato (ut apud Palladium, in Historia Sanctorum, refert Sanct. Theodorus, in ejus vita) sic aiebat: *Corporis afflictiones, humi cubationes, vigiliae, et hujusmodi, per se laudabilia esse concidet aliquis, sed nihil tamen expedit, imo vero et ruinae causam illam esse affirmamus, qui suo arbitrio in his faciendis utitur, nisi ejus, qui praestet, ductu et regula dirigatur.*

14. *Tertia utilitas, de exercitio poenitentiae majori quam si pro omnibus moderata aliqua praescriberetur.* — Quarta utilitas. — Tertio, hinc factum credimus, ut cum effectu majus sit in Societate poenitentiae exercitium, quam si certa aliqua regula fuisset praescripta, quae fini ejus et tantae personarum varietati esset proportionata. Nam tunc, ut num. 12 dice-

¹ Vide Ripam, dieta Const., quaest. ultima.

bam, omnes essent illa regula contenti, quae necessario deberet esse moderata, ut ostendi; nunc autem omnes appetunt (regulariter loquor) facere quantum possunt, et plures etiam plusquam possunt; Superior autem vel confessor singulorum desideria moderatur. Unde etiam fit, ut apud Deum longe major sit poenitentia, quam exterius appareat, quod non parum etiam ad nostram humilitatem juvat, ut infra iterum attingam. Possem autem utilitatem hanc ex effectu ipso ostendere, recensendo varia poenitentiae opera, quae praedicto modo generali quidem consuetudine, justa vero, accommodave distributione in Societate fit, qualia sunt cilicia, non crebrae solum flagellationes secretae, sed publicae etiam multorum simul, in refectorio, praecipuis quibusque festis Christi Domini, B. Virginis, Apostolorum, ac eorum quos alii atque alii praecipua veneratione colunt, patronosque deligunt; item vigiliae, jejunia et similia. Verumtamen haec omitto, quia hominibus bene affectis vel notis sunt, vel per se credibilia, male autem affectis difficile credentur, maxime cum sint secreta. Duo solum adverto: unum est, quia inter praedicta opera, jejunia sunt magis publica, et quae non possunt nisi in conspectu communitatis fieri, ideo specialiter cautum esse in prima congregatione generali, ut Praepositi et Rectores curam habeant admonendi alios ad singularitatem non pertinere, si quis jejundet aliis non jejunantibus. In quo supponitur jejunia particularia et privata debere esse in usu pro uniuscujusque devotione, habita ratione virum et laboris, judicio Superioris, ut reipsa sunt, iis maxime diebus, quibus per hebdomadam ex praeepto Ecclesiae a carnibus abstinetur citra jejunium. Aliud est in partem non modicam poenitentiae computari, imprimis quoad cibum et potum, non solum contentos esse communi quantitate et qualitate ciborum pro omnibus designata, quae juxta consuetudinem religionis vix credi ab aliis potest, quam sit moderata; verum etiam illa uti cum magna temperantia et sobrietate, et praesertim nihil privatim possidere aut in propriis cellis habere, quo possint aliquando, vel necessitati occurrenti subvenire, vel insurgenti desiderio consentire, quam tanquam regulam perfectae abstinentiae posuerunt antiqui Patres; et specialiter videri potest Cassianus, lib. 5 de Institutis jejunantium, cap. 8 et 9; et Basil., in Constit. monast., cap. 5, et optime in 26. Et eadem proportione de vestitu, et usu aliarum rerum judicium ferendum est. Tandem pro

maxima utilitate reputatur, quod religiosi ordinarie vivere possint, et suis laboriosis muneribus inservire, sine frequenti dispensatione, quae sine dubio occasio esse solet et obmurmurationis et relaxationis. Propter quod etiam in Concilio Tridentino cautum est, ut frequentes legum dispensationes vitentur, quoad fieri possit; maxime vero id vitandum venit, si pro tota vita, a totius communitatis rigore sint aliqui eximendi ob rationem (ut aiunt) status magisterii, jubilationis, concionatoris ordinis, etc. Propter has ergo, et alias causas, non una poenitentiae regula pro omnibus posita est, sed illa solum, quae ad temperantiam, honestatem, decentiam et paupertatem sufficiant; has enim condiciones saepe in Constitutionibus suis observat D. Ignatius, ut patet tertia parte, cap. secundo, et sexta parte, cap. 2, § decimo quinto, et sequenti.

15. *Exemplo in objectione adducto de Christi jejunio satisfi.* — Ad exemplum autem illud, quod in eadem objectione n. 11, de jejunio Christi Domini, afferebatur, respondet Basilius, dict. cap. 5 Constit. monast., in fine, ubi cum fere totam doctrinam a nobis positam late tradidisset, eodem modo sibi objicit, dicens: *At, et diuturnam Dominus inedia pertrivit, dixeris; idem fecit Moyses, idem Elias propheta;* respondet: *At enim illud tu quoque animadvertito, Dominum, itemque Moysen, et Eliam, hoc semel tantum fecisse; reliquo autem toto vitae tempore, quod in regendo corpore eam, quam par erat, perpetuo disciplinae moderationem adhibuerint, idque otio languere nunquam siverint, sed usque in laboribus assiduisque exercitationibus continuerint, sicque auxiliari opera corporis, animi virtutes illustriores reddiderunt, dum omnibus suis partibus absolvenda spirituali suae conversationi operatoriam ejusmodi, et activam vitam, seu sigillum ac clausulam adjecerunt.* Ubi Scholiastes in margine adnotavit, Basilium loqui de activa vita, quae ex plenitudine contemplationis derivatur, ut est spiritualis doctrina, quam dicit esse consummationem perfectionis, et ad hanc pertinere ita moderari corpus, ut illi possit inservire. Atque hujus rei exemplum dedisse Christum in ordinario cursu vitae suae, licet semel extraordinarium etiam jejunium servaverit. Unde D. Thomas, 3 part., quaest. quadragesima, art. secundo, ad 1: *Utraque (inquit) vita est licita et laudabilis, ut, scilicet, aliquis a communi hominum consortio segregatus abstinentiam servet, et ut in societate aliorum positus communi vita utatur, et ideo*